



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Mariae Gratiani A Burgo S. Sepulchri Episcopi
Amerini De Vita Joannis Francisci Commendoni Cardinalis
Libri Quatuor**

Graziani, Antonio Maria

Parisiis, 1669

Cap. VI. Brevis transitus rerum, & honorum ejus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9616

Brevis transcurſus rerum , & honorum ejus.

CAPUT VI.

PAULÒ pòst publicis rebus admotus est , atque honores velut impetu aggressus omnes contento propè cursu pervasit , & quod mirabilius , & , vt nos senes longo vſu urbanarum rerum peritos ſæpe narrantes de eo audivimus , prorsus ſingula- re fuit , non suis , non cujusquam potentis opibus nixo , non petenti , ac ſæpe recufanti , minimèque ambitionis cauſâ alienis moribus fervienti , vltro omnia delata , atque ingesta ſunt . Anni quatuordecim à primo adventu ejus in urbem ad Cardinalatum intercessere , quibus numquam ferè vacuus à publico munere egit . Eodem quo Romam venit anno M. D. LI. Urbinum eft missus : anno infequenti in Belgas , atque inde in Britanniam . Inde regressus in Lufitaniam eft profectus , atque his itineribus Julii quinquennium eft tranſactum . A Paulo IV. M. D. LV. ſcribendis epistolis aſci- tuts , eodem anno Episcopus creatur ; destinatus & Urbanus Prætor ab eodem Paulo , ſed mox O- rator , ſive , vt novo quamquam vſitato jam , ac trito Romæ vocabulo utar , Nuntius ad Carolum Cæſarem commorandi cauſâ apud eum eft missus , ad quem tamen bello inter ipsum , & Paulum ex- orto non pervenit . Reversus Romam ad conci- tandos ad bellum Principes Italiæ circummittitur ,

atque iis aditis, Venetiis, ut in eamdem societatem armorum Senatum adduceret, manere est jussus, atque his quoque obeundis muneribus, quatuor ferme consumpti anni, & Pauli Pontificatus exactus est. A Pio IV. quo anno Pontifex Maximus est creatus, qui fuit M. D. L X. Nuntius item ad Ferdinandum Cæsarem, Principemque Germaniae est ire jussus, qua in peregrinatione annum & dimidium fuit. Post redditum inde à Cardinalibus Concilii præsidibus ad eumdem Ferdinandum Cæsarem remittitur, eoque celeriter confecto itinere, in Poloniam, ut Nuntius apud Sigismundum Augustum Regem, gentemque esset, protinus legatur. Sic Pii V. anno item quinto, quo anno Pontifex moritur, absens Cardinalis est creatus. Anno inde M. D. L X V I. à Pio V. legatus ad Maximilianum Cæsarem Germaniae conventum Augustæ agentem ire jubetur. Ac biennio post ad eum à præcipiti consilio tribuendi Austriæ populis jus Lutheranæ hæresis revocandum est missus: aliisque item biennio post ad eumdem Cæsarem, & ad Regem Poloniae de fœdere jungendo adversus Turcas novâ legatione est perfunctus. His itineribus, quibus omnes propè Christianas provincias, quæ in Europa sunt, peragravit, numquam æger fuit, viæ difficultates, laborisque etiam voluptati habuit; non eum æstus, non imbræ, non immania Septentrionis frigora fatigarunt. Proposito hoc veluti cursu rerum ipsius singula nunc ordine enarrare pergemus.

De